

Reverendissime et Illustrissime Domine.

Ago magnas gratias Reverendissimae et Illustrissimae Dominationi Vestrae pro sacro munusculo mihi transmissio. Dabo operam, ut ea quae in tenuitatem meam cadit ratione, Illustrissimae Dominationi Vestrae vicem reponam. Quod fiet, opinor, editione secundi Defensionum tomi, qui Christum, Christique vicarium complectetur: et paulò post typographo tradetur.

In controversia de Christo nullum adversarium reperire potui praeter Iunium, et Danaeum; nisi quod Matthias Hoë, Lutheranus in Saxonia superattendens, sex illos errores contra symbolum, quos Illustrissima Dominatio Vestra Concordiae in iudicio de libro Concordiae obiecit, verbosissimè, et mendacissimè proprio libello à suis amoliri conatus est: cuius vanitatem satis, superque, nisi fallor, redargui. In controversia de Pontifice, latissime se diffundunt novatores, Iunius, Danaeus, Sibrandus, Sutlivius Anglicus, homo, si quis alius, ad calumnias factus. Daniele Chamier Delphinatem anno 1601 editum adipisci necdum potui. Praeter istos tres sunt, qui materiam de Antichristo allatrarunt; et in his Povelus Anglicus. Aldegondium ex gallico latinè conversum et Mortonum Anglum vix numero, quia ille scurra est, hic insulsus rhapsodus. Prodiit quoque anno superiore Samuel Huberus, furiosissimus praedicans, qui Antibellarminum confecit; et primum tomum nescio in quibus bestiae cornibus vera bestia consumit. Nec immemor esse potui Alexandri Carerii, et eorum, qui in nupera controversia Veneta Illustrissimo Bellarmini nomine indignè abusi sunt. Sunt et alii non pauci praedicantes, qui in suis disputatiunculis vel ex professo, vel obiter controversiam Reverendissimae Dominationis Vestrae de Pontifice attigerunt. Enitar, ut omnes debitum praemium reportent. Nullus est tam obscurus tenebrio, qui caliginem suam claritate nominis Bellarminiani illustratum non eat. Videor mihi audisse, vel legisse, non satis memini an in bibliotheca P. Possevini, Hispanum quendam aliquid olim cont-

/ tra Illustrissimam Dominationem Vestram evulgasse, de iurisdictione temporalis, nisi fallor, Pontificis. Quidquid id lucubrationis est, eius effici particeps cupio. Neque enim ingratum erit, ut arbitror, Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut in hac generali defensione, quidquid adversariorum exstitit, repellatur, et refellatur. Videt Reverendissima et Illustrissima Dominatio Vestra, quanto pere mihi cum tot operum Bellarminianorum infestissimis hostibus dimicanti opus sit sanctissimis Reverendissimae Dominationis Vestrae precibus; quarum vi et efficacitate non dubito gratiam, et vires ad hoc Domini praelium praeliandum divinitus mihi concessum iri. Recognitionem operum, et correctorium iam typographo tradidi. Prodibunt ad proximas Francofordienses nundinas, forma minore, qua ipse si tomus aliquoties hic excusi sunt.

Circa sententiam de Pontifice aliquid sine generali concilio
15 definiente, quam Reverendissima Dominatio Vestra sequitur, et quam verissimam duco, quamque et in scholis, et in scriptis semper docui, et publice professus sum, difficultates mihi parit Bulla Sixti V. Pontificis, bibliis olim eius praefixa, quam nuper recudit Thomas James, Anglus Calvinista, in libro, quem inscripsit: Bellum Papale
20 inter Sixtum, et Clementem; in quo varietates utriusque editionis annotat, et lectori ante oculos invidiose simul, et malitiose ponit. Non dubito, altere in hac bulla defectum: quem tamen, fateor, me reperire non posse. Reverendissima Dominatio Vestra erudiat, quaeso, ignorantem. Quod ei proclive factu erit. Capita difficultatis notavi
25 in separata charta. Semper timeo, ne quis haereticus cum bulla Sixti in medium progrediatur, et imparatum opprimat; quod Anglus ille videtur voluisse tentare; sed stupore et inscitia praepeditus, non potuit hoc missili dextrè contra Catholicos uti.

Deus Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram multis annis ecclesiae, et Societati nostrae sospitem, et incolumem servet. Ingolstadii 23. Junii 1608.

Reverendissimae et Illustrissimae D.V. / Servus in Christo
München, Staatsarch. Jesuitica XIX, 324. Jacobus Gretserus.

/ Ad Rev^{mum} et Ill^{mum} S.R.E.Cardinalem Robertum Bellarminum.

Circa bullam Sixti V. anno Domini 1589.Kalend.Martiis anno quinto Pontificatus datam, et bibliis Sixtinis praefixam, difficultatem sentiunt, qui veram et communem iam sententiam illam tuentur; Pontificem,etiam solum, aliquid ex cathedra, seu,ut Pontifex est, definientem, errare non posse. Nam Sixtus in illo suo decreto erravit. Patet; quia statim post Sixti mortem biblia illa sunt suppressa; et postmodum a sequentibus Pontificibus, praesertim Clemente VIII~~XXXX~~. correcta,et longe aliter in plurimis edita, quàm a Sixto publicata
10 fuerant; ut patet ex collatione, quam inter Sixti et Clementis editionem instituit Thomas James Anglus Calvinista in libro,quem Bellum Papale inscripsit, et Londini evulgavit 1606.

Nec dici potest I. Sixtum,ut privatum doctorem, non ut Pontificem, decretum illud edidisse. Nam, praeter totius bullae contextum, illud item obstat: Ad laudem igitur,et gloriam omnipotentis
15 Dei et ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, statuimus,et declaramus. Edidit ergo hoc decretum ut Pontifex.

Nec dici potest II. eum noluisse obligare totam ecclesiam, quia
20 omnes propemodum bullae apices reclamant.

Nec III.,Pontificem in hac re non adhibuisse debitam diligentiam; quia, ut id ita esset, tamen auctores huius sententiae dicunt, peccare quidem Pontificem, quando media debita non adhibet, nihilominus tamen infallibilitatem definitionis constare. Deinde Pontifex
25 mirifice praedicat diligentiam sua in editione adornanda adhibitam.

Nec IV., Pontificem non plane definisse suam conditionem esse illam ipsam, quoad omnia, quam concilium Tridentinum approbavit, quia dicit: sine ulla dubitatione,aut controversia, suam habendam pro vera, legitima, authentica,et indubitata, quamque concilium Tridentinum comprobaverit.
30

/ Nec V., bullam illam non fuisse promulgatam, et publice propositam; quia excusa fuit cum ipsis bibliis Sixti, vendita, distracta, et sine dubio alia etiam solemnia ad promulgationem pertinentia, Romae fuerunt adhibita: praesertim, cum post datam bullam 1589

5 Kalend. Martii, Sixtus adhuc per sesquiannum vixerit; mortuus 29. Augusti 1590. Quo temporis spatio, quis credat eam in valvis Basilicae Lateranensis, ac principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae non fuisse publicatam de more, cum typis publicata fuerit in bibliis?

10 Nec VI. dici potest, Sixtum mutasse sententiam; quia hoc nihil aliud est, quam dicere, eum, errorem in definiendo commissum, correxisse. At definitio ex cathedra ita debet esse infallibilis, ut nulla unquam correctione egeat.

Nec VII. dici potest, biblia illa fuisse suppressa propter typographica errata, ut insinuatur in praefatione bibliis Clementis VIII. praefixa; nam, ista errata fuere paucissima, et pleraque ipsius Sixti manu post impressionem emendata, ut patet apud supradictum Anglum, qui ex bibliis Sixtinis enotavit omnia loca, quae post impressionem manu Sixti, vel aliorum correctae fuerant. Deinde, si 15 de solis typographicis erroribus agebatur: cur iis sublatis, non mansit salva in ceteris Sixti editio? cur plurima aliter sunt edita; et refixa, ac rescissa ipsamet Sixti bulla? Esse autem longe aliam editionem Clementis, quam Sixti, etiam in iis, quae non fuerant commissa vitio proeli, patet ex collatione utriusque editionis, ut 20 ex libro quem Anglus haereticus inscripsit Bellum Papale.

Nec dici potest VIII. ecclesiam non recepisse illam bullam: quia, si fuit definitio ex cathedra, ecclesia debuit illam recipere; tenetur enim audire vocem pastoris sui.

Nec dici potest IX. non fuisse definitionem de re pertinente 30 ad fidem; quia definitio concilii Tridentini de vulgata editione

/ est decretum fidei; ergo et haec Sixti, cum nihil aliud definiat, nisi hanc suam editionem esse illam, quam synodus Tridentina velut authenticam approbavit. Deinde, de fide est, extare Verbum Dei purum et incorruptum: ergo, quando Pontifex definit, in hac editione
 5 determinate exstare Verbum Dei incorrupte quoad omnia, necessario id firma fide credendum est. Deinde, per se patet, non versari decretum illud Pontificis circa factum particulare; in quo Pontificem errare posse, etiam cum generali concilio, plerumque conceditur. Bellarm. lib. 4. de Pontifice cap. 2 ¹⁾, et lib. 2 de sanctis, cap. 14 ²⁾.

10 Nec X. dici potest, Sixtum ex mala informatione particularis alicuius facti processisse ad definitionem; quo pacto vult Card. Bellarminus, loco citato, damnatam fuisse a concilio Francofordiensi synodum secundam Nicenam; quia, in primis definitio Sixti non versatur circa questionem facti particularis, sed iuris: utrum scilicet
 15 illa sua editio, quam evulgavit, sit illa ipsa, quam concilium Tridentinum pro authentica approbavit. Ipse affirmat, et quidem definiendo affirmat: non ex aliena, eaque falsa et mendaci informatione, ut dicitur, accidisse in concilio Francofordiensi, sed ex certa sua scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine.

20 Magnam igitur difficultatem undequaque parit haec bulla Sixti, iis, qui defendunt, Pontificem, etiam solum, aliquid ex cathedra definientem, totique ecclesiae proponentem, errare non posse. Non enim non placet eorum sententia, qui dicunt, tum etiam solius definitionem esse infallibilem, si Pontifex non agat temere. Hoc enim
 25 fugio omnes definitiones Pontificum eludi possent; et, ut peccet temere agendo, attamen definitioni sua constat infallibilitas.

1) "Conveniunt omnes catholici et haeretici in duobus: primo posse pontificem etiam ut pontificem et cum suo coetu conciliatorum, vel cum generali concilio errare in controversiis facti particularis.."

30 2) "Si dicas, ergo saltem concilium Francofordiense, quod frequentissimum fuit et legitimum, errare potuit: respondeo, potuit errare et erravit, non in iuris, sed in facti quaestione."